9

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS FYFE, A. M.

BRITANNUS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCCI.

VIRO CELEBERRIMO,

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI,

MEDICO REGIO IN SCOTIA PRIMARIO,

SOC. REG. EDIN. ET COLL. REG. MED. EDIN. SOCIO,

&c &c. &c.

SCIENTIA ET VIRTUTE OMNIGENA

ORNATO;

FAMA CUJUS BENEVOLENTIÆ ET HUMANITATIS,

NON SOLUM DOMI NITET,

SED AURES MEAS IN EXTREMIS ORIS

HAUD RARO PETIVIT;

OB

INNUMERA BENEFICIA

IN ME COLLATA,

HOC OPUSCULUM,

ANIMI IN PERPETUUM GRATI

PEREXILE PIGNUS,

SACRUM VOLO,

CAROLUS FYFE.

ITEMQUE,

VIRO OPTIMO, BENEVOLO,

GULIELMO CREECH, ARMIGERO,

SOCIET. REG. EDIN. SOCIO, &c.

PROPTER EJUS

IN ARTIBUS INGENUIS ET SCIENTIIS,

DELECTATIONEM ET PERITIAM;

MORES SUAVISSIMOS,

PROBITATEM INSIGNEM;

DENIQUE,

OB

AMICITIAM, OMNI TEMPORE,

MIHI PRÆBITAM,

HOC

OBSERVANTIÆ ET AMORIS

TESTIMONIUM

OFFERO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
HEPATITIDE
COMPLECTENS.

MORBI inflammatorii ferè omnes, terris in frigidis, et quibus cœlum valdè mutabile, præcipuè, graſſantur; quippe frigus et ad hujuſmodi malis proclivitatem vel diatheſin phlogiſticam gignendam, vi ſuâ roborante, pollet, et tanquam cauſa excitans potentiſſima in diſpoſitos agit.

 Morbus,

Morbus, autem, de quo, quàm breviſſimè, hoc in tentamine diſſerere, in animo eſt, hâc re cæteris ſuæ ordinis diſcrepat; quippe qui, multò frequentior eſt in regionibus calidis Indiæ utriuſque, quàm in temperatis aut frigidis Europæ, quamvis in his etiam nonnunquam obſervetur.

Hic morbus in duas ſpecies, ACUTAM, nempe, et CHRONICAM diſtinguitur; quæ, licèt ſæpe altera in alteram tranſeat, rectè ſegregatæ videntur, quia in iis non ſolùm variant ſymptomata, quin etiam medendi ratio.

Ad formam acutam, utpote ſæpius auxilium medici poſcentem, præ altera hìc ſanimum attendo; et poſtquam morbum acutum perbreviter deſcripſero, ad chronicam advertam.

DEFI-

DEFINITIO.

"Pyrexia; hypochondrii dextri tenſio et "dolor, ſæpe pungens pleuritici inſtar, ſæpius obtuſus; dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri; decubitus in ſiniſtrum latus difficilis; dyſpnœa; tuſſis ſicca; vomitus; ſingultus *."

Variant ſymptomata hepatitidis acutæ pro parte jecinoris affecta, et prout inflammatio ad alia viſcera ſerpat, vel alii morbi cum ea conjuncti fuerint.

Hiſtoriam hujus morbi ſcribenti, tales varietates ſecernere non ſemper facilè erit; quandocunque autem diſtinctio utilis videbitur,

---

* Cullen. Noſol. Method. vol. ii.

tur, eam, quàm maximè potuero, indicare conabor.

Hic, ut alii morbi febriles, ferè præceditur ſenſu frigoris et horroris, moleſtiâ generali, languore, anxietate; quibus ſuperveniunt calor auctus, cutis arida, ſitis, pulſus arteriarum naturali frequentiores, plerumque etiam fortiores ac duriores, inquies, viriumque proſtratio inſignis. Tunc in regione hepatis, ſentiuntur tenſio, ardor, ponderis ſenſus et doloris, aliquando itidem tumor manifeſtus. Dolor pro parte affecta plùs minùs auctus; videtur enim ſubſtantia parenchymatoſa ſenſu parùm acutò prædita; inflammatio autem peritonæi hepar veſtientis, acerrimum dolorem affert. Quæcunque verò pars torqueatur, multò acerbior redditur dolor, dextro hypochondrio preſſo, decubitu in latus ſiniſtrum, cibo aſſumpto, muſculorum abdominis motu, inſpiratione, et magìs adhuc tuſſi.

Dolor

Dolor ſpiritum difficilem reddit; tuſſis importuna, ſicca plerumque, aliquando humida, et haud rarò ſingultus, urgent. Dolor ab ægris dicitur ad claviculam uſque et ſummum humeri dextri pervenire; ſæpe quidem totum latus dextrum, coſtas nothas præcipuè, mammam, brachium, interdum etiam crus et pedem afficit.

Hæc ſigna maximè notabilia ſunt, inflammata parte jecinoris convexa. Inflammata verò parte ipſius concava, alia potiùs obſervantur ſigna; dolor, ſcilicet, obtuſior, anxietas, anorexia, nauſea, vomitus ſæpe bilioſus, cardialgia, interdum color flavus cutis, alvus aſtricta, lingua nigra et ſcabra. In aliis autem exemplis cholera vel diarrhœa fiunt. Urina plerumque eſt craſſa, ſolito parcior, rubicunda ac turbida. Sanguis e venis detractus, ob colorem felleum cum cruore purpureo miſtum, ſubviridis apparet: at citò evaneſcit hæc

viriditas,

viriditas, ſanguisque tunc pelliculam tenacem flavam oſtendit.

Omnibus in caſibus ubi ſpecies icteri abeſt, pallor languidus vel plumbeus ora inficit; et ab exercitatione leniſſima ſudor de corpore manat.

Hepatitis chronica.—Signa quibus primò ſeſe monſtrat, ſunt ferè eadem quæ pravam concoctionem comitantur; inflatio, ſcilicet, et moleſta plenitudo ventriculi, poſt cibum, ructus acidi; appetitus ſæpe imminutus, nonnunquam verò nimius; adſunt quoque moleſtia generalis et laſſitudo; animus ferè languidus, meticuloſus, mœſtus et triſtis fit. Pulſus, morbo adhuc recente, parùm a naturali mutatus; niſi aliquando ſolito debilior, minor ac tardior. Vultus pallet; oculi hebeſcunt. Reſpiratio difficilis, et tuſſis ſicca vel rauca, ſæpe obſervantur. In hypochondrio dextro gravitas quædam diſtentioque incidit;

cidit;

cidit ; tunc dolor obtusus sentitur, præsertim si premitur, qui dolor, utì in morbo acuto, ad summum humeri tendit. Decubitus in utrumvis latus, at in sinistrum magìs, ægro gravis est ; et hanc ob causam impeditur seu turbatur nocturna quies, terrentque insomnia dira. Alvus sæpe diu astricta est ; tandem autem soluta evadit ; et supervenit alvi profluvium colliquativum.

In ultimis gradibus, ægrotus febrè hecticâ corripitur, signa ferè eadem exhibente ac phthisi pulmonali ; at lingua plerumque sicca est et sordida. Gingivæ pallidæ ac duræ, adeò ut ægrè hydrargyro afficiantur. Urina redditur parca, rubra ; cutis durescit atque constringitur. Vires quotidiè magìs deficiunt, corpus contabescit, et denique ipsa debilitas ægrum extinguit.

In quibusdam exemplis, obstructio hepatis asciten lethalem fert.

FINIS.

FINES.

Resolutio, terminus optandus, interdum ſponte contingit, præcedente vel comitante exinanitione aliquâ notabili, utì ſudoris, urinæ coloratæ turbidæ, ſanguinis per nares aut anum, bilis demùm vel ſurſùm vel deorſùm. Veriſimile videtur excreationem muci hunc eventum nunquam comitari, niſi inflammatio pulmonis quoque adfuerit, eodem tempore ſoluta. Efflorefcentia cutis, a quibuſdam auctoribus inter ſigna reſolutionis, memorata, a ſudore ipſo pendere videtur.

Eventus autem valdè frequens et periculoſus eſt ſuppuratio, quæ ſemper metuenda, ubi, quamvis dolor remiſerit, ſenſus ponderis ingratus in regione jecoris perſiſtit, decubitusque in latere ſiniſtro permanet moleſtus, præ-

ſertim

fertim fi dolor increfcit, ftipantibus horrore aliisque pyrexiæ fignis. Facto pure, dolor quidem minuitur; at æger longè imbecillior fit, quòd pulfus frequentes, parvi, debiles, animique defectio crebra, planè teftantur. Aliquando abfceffus permagnus citò formatur, et pro fede ipfius varia, per diverfas vias pus expellitur. Modò in ductus bilem efferentes, viam invenit aut facit, ex quibus in inteftinum tranfit, et cum fæcibus alvi ejicitur: Modò adhæfionibus ad vetriculum five duodenum factis, in hæc vifcera fertur, et per alvum defluit vel vomitione egeritur. Interdum, exefo fepto tranfverfo, atque in pulmones ruente, fubitò miferum extinguit: funt autem exempla prodita perpaucorum, qui pure in pulmonem effufo et excreato convaluerunt; fed rariffimè fic affectis, eventum tam felicem fperare licet. Nonnunquam etiam abfceffu rupto, in cavum abdominis funditur pus, quod brevi lethale fit. Si autem abfcef-

ſus in facie hepatis convexa habeat, pus ſæpe, peritonæo ac muſculis et cute exeſis, ejicitur; et quandocunque hâc viâ evadere conatur, exitum facilior reddi, ope chirurgiæ, debet.

Gangræna, utcunque rara, in jecinore evenire poteſt. Hunc eventum exitialem indicant, ceſſatio doloris ſubita, ictus arteriarum celeres, parvi, intermittentes; partium corporis extremarum algor pallorque; ſudores, circa pectus et frontem, gelidi, viſcidi; ſingultus, fæcum et urinæ involuntaria emiſſio; totius corporis languor; tendinum ſubſultus; delirium mite.

Nec inter terminos hepatitidis omittendus eſt ſchirrus. Quando autem adeſt, niſi ſolutus erit, ſæpe malum hydropicum parit, aut tandem in abſceſſus abiens, ægrum extinguit.

IN-

INSPECTIO CADAVERUM.

Abdominibus hoc morbo extinctorum apertis, varia in casibus diversis observata sunt. In nonnullis pars externa jecoris ferè sana visa est; at septo transverso adhærens, et inciso jecore, abscessus cernitur ingens, pure repletus, cujus pars iter in pulmones confecerat, eorum substantia plùs minúsve consumpta. In exemplis aliis, adhæsiones jecur inter et ventriculum vel intestina reperiuntur, quas in cavitates, materia purulenta viam sibi fecerat. In quibusdam plures abscessus, aut pure pleni, aut qui pus suum per varias vias effuderant, inveniuntur. In aliis abscessus nullus, superficies jecinoris gangrænosa et livida.

vida *. Hepar haud raro durum admodum reperitur, et in molem ingentem tumuit. GREGORIUS noster, in prælectionibus, jecoris ad tantam massam adaucti, ut libras octodecim cum dimidio penderet, meminit; alteriusque valdè duri quod racemum referebat, et vix uncias viginti pondere æquabat.

* Vid. MORGAGN. de Sedibus Morborum.

CAUSÆ

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Hic morbus, ut ſuprà dictum eſt, in plagis et tempeſtatibus calidis, multò magis quàm in frigidis accidit, atque in illis viros robuſto corporis habitu, in vigore ætatis florentes præ aliis adoritur, tanto magis ſi, intemperantiæ et luxui dediti, quotidiè lautis epulis "multóque celebrant convivia Baccho." In littore *Coromandelæ* in India, præ omnibus locis graſſatur; ibique Europæos maximè invadit.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Causæ remotæ hunc morbum excitantes eædem ferè ſunt quæ alias inflammationes inducunt, quarum præcipue in hepar agentium hæ ſunt.

1. Vis externa mechanica in ipſum hypochondrium dextrum ; et ut fertur, quod magis mirum eſt, vis capiti illata. Ictus in caput graves ſæpe vomitionem provocant, bilemque ab hepate eliciunt, et hoc modo ſtimulum admovent, quo vaſa hepatica acriter excitantur.

2. Calor, potentiſſimus in natura ſtimulus et qui longiſſimè ac latiſſimè patet, nimis intenſus in corporibus antea proclivibus hunc morbum ſæpe excitare videtur. Huic capiti quoque effectus frigoris referimus, qui perquam

quam validi cognoſcuntur, præſertim ſi frigus atque calor agunt alternis. Non noſtri eſt rationem reddere, cur ex tam diverſis, ut videantur, cauſis, idem effectus producitur; earum verò potentia multò certior confirmatur, quàm de re facta moveantur lites.

3. Exercitatio quoque vel animi vel corporis violenta, hunc morbum induxiſſe fertur. Duplici modo nocere poteſt talis exercitatio: aut viribus corporis exhauſtis, aut motu ſanguinis præter modum aucto, unde pars quævis inflammationi opportuna hâc citò corripictur. Inter perturbationes animi, affectus excitantes, ut vocantur, vires maximas habent, quorum nullus irâ nocentior, præſertim hepati. Hic igitur affectus animi ferox, principium inflammationis hepaticæ obſervatur.

4. Intemperantia in cibo et potu, utìque liguritio dapum conditarum immodica, pocula meri frequenter et largiter hauſta, et præ

omnibus

omnibus ſpirituum ardentium ingurgitatio avida, fontes hujus mali non inſueti fuerunt.

5. Morbi priores certi, inter quos concretiones in jecoris ſubſtantia, febres intermittentes remittentesque bilioſæ, atque dyſenteria recenſentur, ſæpe hepatitidi originem dederunt.

CAUSA PROXIMA.

Vix dubitari poteſt quin, jecore inflammato, actio præter naturam intenſa, et in exilibus arteriæ hepaticæ, et in venæ portarum ramis fiat; quoniam experimento minimè dubio a clariſſ. Monrone tentato, conſtat, jecore canis parumper aëri objecto, arteriâque hepaticâ conſtrictâ, non multò poſt inflammatione correptum fuiſſe illud viſcus, et vicinis partibus

partibus adhæsisse, ut ipse vidit. Hic eventus affectioni venæ portarum ramulis soli tribuendus est.

RATIO SIGNORUM.

Respiratio difficilis et tussis, quoties diaphragma aut pulmones patiuntur, molestæ deveniunt; etiamque partibus hisce nihil patientibus, in hoc morbo multùm incommodi afferunt; propterea quod facie jecinoris superiore musculis respirationi inservientibus pressa, actiones eorum impedit, unde irritatio pulmonis continua, tussim importunam movens.

Dolor ac *tensio*, ferè hypochondrio dextro referuntur, quia lobus hepatis dexter, sæpius quàm sinister afficitur, et aliquando etiam, ni fallor, quum totum jecur patitur, quia mino-

rem habemus facultatem mufculos obliquos abdominis validos relaxandi, quàm rectos fupra lobum finiftrum pofitos.

Difficultas et moleftia in finiftro latere cubandi fit, quia pondus hepatis ligamenta inflammata tendit.

Vomitus oriri poteft vel a ventriculo partim inflammatione affecto, vel a facie concava hepatis ventriculum premente, vel, quod fæpe accidere folet, a bile e duodeno in ventriculum affurgente, ibique irritante. Eadem ferè ratio reddenda eft molefti fingultûs qui fæpe in hoc morbo obfervatur.

Dolor ad claviculam et fummum humeri dextri tendens, a quibufdam nexui et fympathiæ nervorum attributus fuit; ab aliis confenfui partes ejufdem lateris pervadenti; ab aliis nexui qui, interventu fepti tranfverfi, hepar inter fummumque thoracem intercedit.

DIA-

DIAGNOSIS.

A Pneumonia dignoſci hæc inflammatio poteſt, ſi obſervamus an ſedes morbi, thoraci an hypochondrio ineſſe videatur; an tuſſis humida ſit, an ſicca; an decubitus in latere dolente, an in altero ſit difficilior. Cauſæ remotæ quoque expendi debent, nam pneumonia ſæpius in frigidis, hepatitis in calidis graſſatur regionibus. Quinetiam ſi dolor ad jugulum et ſummum humeri tendit, vel ſi adſunt vomitus vel ſingultus diu permanens, haud dubitare licet quin inflammatio ſit in jecinore ſita. "Frequens ſingultus," ait Celſus, "et "præter conſuetudinem continuus, jecur in-"flammatum eſſe ſignificat."

A Gaſtritide hunc morbum diſtinguere faciliùs poſſumus, quoniam in illa de dolore in hypochondrio

hypochondrio dextro, et ad ſummum humeri tendente nunquam queritur æger, at de ardore in epigaſtrio et dolore ingeſtis aucto, quæ ſigna comitatur pulſus frequens, exilis duruſque, debilitas valdè notabilis et pyrexia typhodes.

Ab Enteritide etiam facilè ſecernitur; nam in illa dolor circa umbilicum torquet, et pulſus arteriarum pyrexiam typhodem indicant. A Colica quia in hac nulla pyrexiæ ſigna obſervantur.

Rheumatiſmus ſi regionem hepaticam invadat, tractum muſculorum plerumque doloribus torquet.

Dyſpepſia nonnunquam pro hepatitide vetuſta habita eſt, at facilè dignoſcuntur, ſi animus attentè ad ſigna utriuſque advertitur. Semper autem memoriâ tenendum eſt, quàm ad queſtus, de ſua valetudine fingendos, propenſi ſunt qui ſtomacho laborant.

PRO-

PROGNOSIS.

Prævisio eventûs morbi, licèt difficilis admodum, maximam meret attentionem, quippe quæ multùm ad medelam confert, multúmque ad medici nomen.

Attendendum eſt prius ad ægroti ætatem, temperiem, conſtitutionem, rationem vitæ antecedentem, morbosque prægreſſos, et ad cauſas, violentiam, durationemque morbi, quam prædicere quæ fauſta vel infauſta eventura ſint, ſuſcipiamus.

Quando valdè acutus eſt dolor, tuſſis ſicca et moleſtiſſima, alvus inſigniter adſtricta, ſpiratio perdifficilis, præſertim comitante ſingultu, et magis ſi delirium accedit, terminationem ſubitam et lethalem timere cogimur. Evacuationes quædam Criticæ vocatæ, putà epi-

ſtaxis

ſtaxis vel narium hæmorrhagia, ſudor, urina copioſa et craſſa, antea inter ſigna reſolutionem comitantia memorata, ad notas bonum indicantes referendæ ſunt.

Quando verò morbus, etiamſi lentè procedit, et, remediis ſive prorſùs neglectis, ſive infeliciter adhibitis, corpus marcidus ac debilis fit, atque febris hectica oritur, omen incertum, potiúsque ſiniſtrum habendum eſt, quia veriſimillimum eſt hepar jam eſſe ſuppuratum: quo facto, plùs minùs periculi metuendum eſt pro parte quâ inſederit, quam non ſemper detegere poſſumus.

Cum hepatitidem vetuſtam depellere conamur, ſi non prælonga fuerit, ſemper ferè ſpem ſanitatis reſtituendæ concipere fas eſt. Quòd ſi remedia apta negligantur, et æger intemperatè vivat, nihil eſt quod dubitemus quin citiùs tardiúsve, morbus in formam acutam tranſeat, atque eum in vitæ diſcrimen inducat.

MEDEN-

MEDENDI RATIO.

In omni inflammatione acuta tractanda, medici eſt, ad exitum optatum, reſolutionem, videlicet, morbum perducere, ſummopere eniti; et hoc propoſito, artem ejus ſtrenuè ac prudenter adhibere.

In hepatitide acuta ſananda, iiſdem principiis generalibus, ac in aliis ejuſdem ordinis morbis, medicus dirigi debet: igitur hæc duo conſilia medendi ſatis apta videntur.

1. Morbum ad reſolutionem perducere, et ſic ægrum tueri a periculo gangrænæ, aut ſchirri, aut ſuppurationis.

2. Symptomata graviſſima lenire.

1. Ut inflammatio jecinoris reſolvatur, oportet imprimis tollere diatheſin phlogiſticam, ut vocatur, generalem; quod fit regimine antiphlogiſtico, ſanguinis miſſione, alvi purgatione,

tione, emplaſtris epiſpaſticis, et medicamentis refrigerantibus.

Sanguis mittendus eſt maturè, largè et ſæpè, ſi pulſus frequens, durusque, dolor, vomitus atque anxietas urgeant. Quantitas ſanguinis mittendi varia eſſe debet, ſecundum ægri ætatem, conſuetudinem et vires, et morbi vehementiam, et demum ipſius regionis temperiem. Evacuatio ſanguinis topica, cucurbitulis cruentis aut hirudinibus, ſupra locum dolentem admotis, minùs valent; at ſi miſſionem ſanguinis generalem non ferre poteſt æger, detractio localis haud omninò contemnenda. Memoriâ quoque tenere oportet, detractionem ſanguinis multò magis prodeſſe in primis morbi diebus quàm poſtea; et interdum potiùs nocet in vetuſto caſu, aut in ultimis morbi gradibus.

Remedia alvum purgantia, quoque, vi cordis arteriarumque minuta, irritamentoque a fæcibus in inteſtinis collectis ſublato, inſigniter

ter profunt. Cathartica mitiora quæ alvum facilè et leniter folvunt, primò tentanda funt; ex quibus aptiffima videntur infufio tamarindorum cum fenna, tartris acidulus potaffæ, fulphas fodæ, phofphas fodæ, oleum ricini, et cætera refrigerantia atque emollientia vocata. Si his adhibitis, non refponderit alvus, ad acriora confugiendum, et præ cæteris ad muriatem hydrargyri mitem.

Epifpaftica veficantia etiam inter utiliffima funt remedia. Applicanda in initio funt perampla fupra partem affectam; et, ne ftranguriam inducant, diluentia, oleofa, et demulcentia, liberè forbenda.

Refrigerantia demum medicamenta, quamvis jam recenfitis minùs efficacia, fuos ufus habent. Ex iis optima funt, hauftus falinus, vel citris potaffæ, fructus acido-dulces, qui inflammationem et febrim minuunt, et fitim fedant.

Plurimis in cafibus hæc remedia morbum tollunt; quin et aliud eft medicamentum, hy-

drargyrus nempè, adeò validum ut ferè semper adhiberi mereatur, ne in schirrum, ad quem sæpe magna est proclivitas, desinat morbus.

Convenit plerumque, remediis jam memoratis, per duos vel tres dies adhibitis, hujus præstantissimi remedii usum præcipere, copiâ tantâ, ut suum effectum in ore quàm celerrimè præstet. Præparata simplicissima cæteris anteponenda sunt; scilicet, pilulæ mercuriales communes, internè sumptæ; vel murias hydrargyri mitis, et demum unguentum hydrargyri fortius, in hypochondrium dextrum, partesque vicinas pérfricatum. Pergendum usu hydrargyri usque adeò, donec spiritus malè oleat, et gingivæ tumere, rubere et dolere incipiant. Hæc enim signa ostendunt medicamentum totum corpus pervasisse. Tunc intermittendum aliquantisper, ne salivatio nimia sit, sed non prorsùs omittendum medicamentum, viginti saltem vel triginta diebus a

morbi

morbi initio. In hepatitide vetuſta ſananda diutius adhiberi debet mercurius, nimirum ad levem oris exulcerationem, per menſem vel ſeptimanas ſex; et ſi opus ſit, hæc ſeries iterum iterumque repeti poteſt. Semper autem in memoria teneat medicus, quàm periculoſos effectus præſtet hæc medicina præter modum adminiſtrata.

2. Ad ſymptomata duriora levanda, varia utilia, ſunt. Tuſſis opio cautè aſſumpto et mucilaginoſis, lenienda; lateris verò dolor fotu externo, enematibusque emollientibus; diarrhœa, quando urget moleſta, aſtringentibus, qualia ſunt catechu, kino, temperanda; vigiliæ, ſtatu inflammatorio devicto, opiatis ſopiendæ.

In hepatitide Indica chronica, fertur diætam, generoſam ex carne vegetabilibusque condimentis ſapidis miſtis, et merum multum juvare. Suſpectum habere fas eſt, talem vitæ rationem multò ſæpius damno quàm bono fuiſſe.

Cœlum

Cœlum mutare, hepate laborantibus ſæpè profuit. In plaga mitiore, efficaciſſima ſæpè reperiuntur auxilia quæ ſole ſub ardente irrita fuere.

Morbo infeliciter in ſuppuratione deſinente, rationem ſanandi prorſùs mutari debet. Nunc ad roborantia et ſtimulantia, qualia ſunt corticem cinchonæ officinalis, et vinum, confugiendum eſt. Abſceſſus ita ſitus ut extrorſum pus ejicere moliatur, quamprimum ſcalpello aperiendus, ne ſibi viam in cavum abdominis faciat.

F I N I S.